





B. N.
309.

Xm. 195.

74

DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

XIII.

*Ex Capitibus 19. 20. 21. 22. & 23.
Libri quarti Galeni de simplicium
medicamentorum facultatibus
hausta:*

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Argen-
toratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-
reo, ac Reipubl. Archiatro:

Respondente

VITO Kiedlin / ULMENSI.

✽(;)✽

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. L.



VIRIS
NOBILITATE GENERIS, OFFICIORVM
AMPLITVDINE, PRVDENTIA POLITICA, RE-
verendâ dignitate, Doctrinâ, longâque re-
rum experienciâ clarissimis, maximeq;
conspicuis,

DN. MARQUARDO Ehinger / à Balthheim/
Reip. Vlmensis Consuli gravissimo:

DN. LEONI Rothen / ab Holschwang/
ejusd. Reip. Xenodochij p. t. Præfecto, & superio-
ris Iudicij Assessori amplissimo:

DN. JOH. JACOBO KIPSIO, Reip.
Argentoratensis Quindecimviro prudentissimo:

DN. ANTONIO Schermer / Rerum Ædi-
lium apud Vlmenses Curatori fidelissimo:

DN. BALTHASARI Eöschenbrand / Æra-
rij publici apud eosdem Triumviro, ut & supe-
rioris Iudicij Assessori spectatissimo:

DN. JOH. SEBASTIANO BLOSIO,
Phil. & Med. Doct. Physic. P. P. & Poliatro Vl-
mensium clarissimo:

DN. M. JACOBO HONOLDO, eo-
rundem Log. & Metaph. P. P. & in summo tem-
plo Ecclesiastæ vigilantissimo:

DN. JOH. ALBERTO SEBIZIO, Med.
Doct. & Reip. Argent. Practico felicissimo:

DN. JOH. JACOBO Riedlin / Chirurgus
Reip. Vlmensis primario:

*Dn. Dn. Favoribus, Promotoribus, Præceptoribus,
Fratri, aeterno honoris cultu suspiciendis,*

Disputattonem hanc in ulteriorem
sui suorumque studiorum com-
mendationem

Offert
VITVS Riedlin / Resp.



PROBLEMA

I.



Uid efficiant saporés
amari? quid acres? & quo
pacto acres ab amaris differant?

A mari saporés vim habent incidendi, extenuandi, abstergendi, & calefaciendi, minimè tamen urendi. Acres calefaciunt, exedunt, urunt, crustam inducunt, & colliquant: hosque effectus edunt foris cuti impositi. Sin intra corpus sumantur, siquidem ólais íous & ólais cuipiam adversentur animanti, illud putrefaciunt, & è medio tollunt, quia sunt deleterij. At si duntaxat καλὰ τὴν ἀμύτρεϊαν τῆς θερμότητος, caloris immoderatione illè sint inimici, siquidem crasse sint terreneque essentia, interiora exulcerant: sin tenuis, urinam movent, sudoresque eliciunt, & ut summarim loquamur, vim habent incisoriã, extenuatoriã & diaphoreticã. Vnde ex horum albo quidam tùm ad expectorationem, tùm ad menstruorum educationem conducunt.

Differunt autem acres saporés ab amaris, I. quia hisce sunt longè calidiores: II. quoniam amari omnes non modò calidi sunt, sed etiam sicci, cineri adsimiles. His enim jure meritòq; eos

H h 2 compa-

comparare licet. Acres autem, qui amari non sunt, multam interdum humiditatem habent admistam. Quae causa est, quod corpora ejusmodi non pauca à nobis esitentur. Libr. 4. c. 19.

II.

Quomodo probetur, amarum saporem non modò calidum, sed etiam siccum esse? Probatur primùm experientia; deinde ratione. Nam si ex corporibus dulcibus admodum, vel ab igni, vel à calore nostro calefactis amara gignuntur corpora, sequitur, amara sicca esse atque terrena. Prius est verum. Ergo & posterius.

Prius probatur. Quae corpora sunt calida & humida, ea ab igne, vel calore nostro vehementer excalecta sicca tandem fiunt: quoniam humor eorum à calore absumitur ac defluit, utpote in vaporem resolutus. At dulcia sunt calida & humida, quaedam magis, quaedam minus. Ergo à calore ignis, aut nostro vehementer excalecta sicca tandem fiunt. Quae autem hoc modo siccescunt, & partibus dulcibus privantur, ea amara evadunt. Dulcia hoc modo siccescunt, terrena fiunt natura, & partibus dulcibus privantur. Ergo amara evadunt.

Quòd autem dulcia sint calida & humida, sic probatur. Quae naturae humanae maxime similia sunt, ea calida sunt atq; humida: quoniam natura humana temperatè calida est & humida. At dulcia sunt humanae naturae maxime similia. Ergo calida & humida.

Quod

Quod ergo ex dulci superassato & adusto pro-
venit, id, perinde ut calx & cinis, calidum sic-
cumque necessario efficitur: hocque nomine ad
abstergendum, comminuendum, & crassos visco-
sosque humores, instar cineris & nitri, inciden-
dum disseccandumque est aptum atque idoneum.
Nec enim aërea est, neque tenuis, neque aquea
eorum substantia, sed, ut antè dictum, terrena,
exactè à calore elaborata, ac velut adusta & su-
perassata. Lib. 4. c. 19.

III.

Quomodo se in comparatione amara ad
adstringentia & acria habeant? Si amara cum
adstringentibus conferantur, illis quidem non pa-
rum sunt λεπτομερέστερα, tenuiora: sin cum acri-
bus, ἢς παχυμερέστερα, crassiora existunt. Etenim,
que neque facile crassos viscososque humores
διεξέρχεται, pertranseunt, velut τὰ λεπτομερέστερα:
neque incidere, perinde ut παχυμερῆ, queunt, ea
medio modo se habent, & πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο
crassa tenuiaque dici possunt: ac propterea neq;
promptè penetrant, ut flammæ: neque dum cun-
ctantur tardantque, disseccare possunt. Omnia er-
gò, que amara, calida sunt & sicca; & partim
tenuia, partim crassa & terrena, eo videlicet
modo, quo dictum. Lib. 4. c. 19.

IV.

An non contradictoria sint, si dicatur,
amara calida siccaque esse, & tamen etiam
tenuia atque terrena? Videntur quidem esse

Hh 3

• ἀντί

ἀγλυκαλιχά. Nam si amara sunt tenuia, certè
terrena esse nequeunt, quia talia sunt crassa.
Verùm Galenus monet, quod dicitur, totum con-
iunctim inaudiendum esse, haudquaquam utrum-
que separatim legendum. Sic enim tenue vide-
tur cum terreno pugnare. Sed non simpliciter
tenue: verùm ut in terrena substantia tale esse
amarum Galenus asseverat, veluti calx & cinis,
& quicquid exactè perassatum est, cinisque red-
ditum. Fortè autem veriùs fuligini, & favilla
flamma adsimilaretur. Gustantibus enim apparet
amara. Hec igitur ratio est, qua quaedam tenuia
& terrena statuuntur.

Crassa & terrena corpora sunt ferrum & la-
pis. Tenuia, favilla & cinis. Ferrum ignitum, &
candens lapis, & calce, & cinere sunt crassiora,
multòque magis, quam favilla: insuper & cali-
diora. Sed ferro lapidique ignito, ea quæ per ero-
sionem interimunt medicamèta, similia sunt: quæ
à corporis calore hùc perducuntur, ut sint qua-
si ignita: h. e. postquam à calore nostro in actum
sunt deducta: ut chalcitis, misy, sory, arsenicum,
hydrargyros, lithargyros, & alia innumera. Talia
namq; crassarū sunt partium, ac potestate calida:
& propterea à spatio tēporis accensa, per eam, quæ
est in animante, mutationem non aliter, quàm la-
pis & ferrum ignitum ventrē tūm exulcerant,
tūm exurunt, cum scil. præ ponderis gravitate in
corpus distribui haud possint. Istis autē subtiliora
sunt, tametsi & ipsa terrene sint consistentie,
calx.

calx, cantharis, lepus marinus: quorum quedam usque ad hepatis pertingunt regionem, quedam vero usq; ad vesicam & pectus, in tanto interim itineris spatio igneam acquirentia naturam.

Porro, aristolochia & iris his etiam subtiliores sunt; quippe quae tum humida essentia, tum aëria, plus quam illa obtineant: id quod ex eo constat: quia neque adeo sicca sunt & dura, neque adeo gravia: & ob id in deleterio genere minimè continentur. Cantharis parcè aliquando sumpta, & quib. oportet, permista, praeterquam quod vesicam non offendat, etiam renes expurgat: imò & quae efficaciora conficiuntur medicamenta ad urine citationem, nonnihil cantharidis habent. Libr. 4. c. 19.

V.

Quibusnam corporibus amarus insit sapor? Siccis. Nam quae corpora minimè omnium putrescunt, ea amara potius, quam alio sapore sunt praedita. Sicca corpora minimè omnium putrescunt. Ergo amara potius sunt, quam sapore alio praedita.

Quod autem corpora sicca minimè omnium putrescant, duob. modis probatur. I. In quib. corporib. neque vermes, neque talia gignuntur animalcula, qualia herbis, radicibus & fructibus putrescentibus innasci videmus, ea minimè omnium putrescunt. At in siccis corporibus talia animalia non nascuntur. Ergo minimè omnium putrescunt.

¶ I. Ex corporibus siccis oppositis, quae humida

Hb 4 sunt

sunt. Nam si in humidis corporibus proveniunt vermes & putredo, sequitur, in siccis talia minime omnium generari. At prius verum est, ut Avicenna docet. Ergo in siccis corporibus talia minime omnium generantur. Lib. 4. c. 20.

VI.

Utrum planè amaro sapore prædita neque vesca sint, neque nutrimentum præbere valeant? Vocat Galenus ἀκριβῶς πικρά, exactè & exquisitè amara, que nullo sapore alio, qui gustu notabilis sit, participant. Ea omnibus propemodùm animantibus, nedum hominibus, ἀβροτα, esui inepta esse profitetur: idque confirmat primùm hoc argumento.

Q. esculentum est, nosque alit, id humidum sit, vel saltem humiditatem aliquam in se habeat, oportet. Exquisitè amara talia non sunt: sed omnia sicca, non aliter, quàm cinis & pulvis. Ergo exquisitè amara edendo non sunt, neque nos alunt: quemadmodum nec cinis, pulvis, calx, nec alia, que prorsus amara.

Obijcies absinthium, quo aliqui in cibo utuntur: licet sit valdè amarum. Aquam item marinam, que amara, & tamen pro potu in navigationibus usurpatur. Respondet Galenus, absinthium non solum amarum esse, sed etiam adstringenti sapore donatum. Ergò non merè amarum est. At dictum, id alere non posse, quod merè tale. Ideoque si absinthium nutrit quosdam, rationi consonum est, etiam dulces quasdam in sese particulas habere.

Mare

Mare quod attinet, est id salsum potius, quam
amarum, plurimum in se aquæ dulcis & potabi-
lis habens. Bibi igitur potest, quia non merè ama-
rum. At aqua, quæ est in lacu Palastina, in Sy-
ria, non salsa modò, sed & amara est. Vocant il-
lum alij mare mortuum, alij lacum asphaltitem,
sive bituminosum, quòd ibi optimum bitumen
colligatur, & quòd in eo nullum neque animal,
neque planta insit: imò cum duo in illum fluvij
confluant longè maximi, pisciumque multitu-
dine abundantes, is præsertim, qui Iordanis dici-
tur, & propè Ierichontem fluit, nullus sanè piscis
fluviorum illorum ostia egreditur: & sic aptos
quis in illum inijciat, brevi admodum moriun-
tur. Adeò est is tum hominibus, tum brutis,
tum piscibus inimicus: idque propterea, quoniam
& exactè amarus est, & calidus atque siccus, &
à Solis ardore exustus atque assatus, ut veluti fu-
iginem referre videatur. Quo nomine aqua ejus
lacus etiam salsa est, & quidem salsior, quam al-
terius alicujus maris: utpote magis adusta. Est
quoque sal illius subamarum: & est aqua ipsa
æstate amarior, quam hyeme: quia tum temporis
à Sole quasi torretur. Amara etiam magis reddi-
tur, si portio eius è mari hausta æstivo tempore
in vasculum infundatur, & Soli exponatur.

Est eadem ejusdem lacus bituminosi, sive maris
mortui, aqua gravis & crassa, & tantò quidè ma-
rina gravior crassiorq; , quantò fluvialis marina.

Salsam autem esse, I. ex gustu probatur, quia

Hb § gustan-

gustantibus salis apparet. II. quia mere falsugini similis. III. quia si quis in illam se immergat, emergens veluti tenuissimo sale conspersus cernitur.

Crassam verò gravemque existere, I. exinde colligi potest, quia si hominem manibus pedibusque ligatis in aquam maris mortui conjeceris, deorsum haud feretur. II. quia quemadmodum mare naves onustiores citra submersionem portare valet, ita graviores gestare lacus ille potius est, quam mare aliud. III. quia lutum refert; falsuginem, ut dictum, representat: sal extraneum minimè liquat: plurimum denique salis proprii continet, quod grave, quia terrene natura. Lib. 4. c. 20.

VII.

Cujus naturæ & qualitatis, sive temperamenti sit Sal? Est calidum, siccum, modicè adstringens, extenuans, abstergens, digerens. Verùm aliud alio est efficacius. Fossile, quod sal gemma vocatur, strenuè calefacit, siccatur, abstergit, digerit, carnes constringit, densaturque, quia durum, minimè fragile. Hoc imbecillius est marinum. Tàm quod multis in locis aquis leviter salis arescentibus provenit. Libr. 4. c. 20.

VIII.

Quomodo salus & amarus sapor inter se conveniant, quomodoque differant? Hi duo sapor inter se conveniunt, quoniam terreni sunt ambo. Differunt autem, quia amarus siccior, calidior.

calidiorque est salso. In genere vero salis, qui durior, densior terrestriorque, qualis fere est universus fossilis, minus calidus est, minusque tenuium partium. Qui vero friabilis, & laxus, tenuior est calidiorque. Qui inter ipsos subamarus est, mediam quodammodo naturam inter salem durum & aphronitrum obtinet. Aphronitrum similiter, ut sal, varium est. Quaedam illius genera sunt dura crasseque substantia, & qua nec facile liquari in aqua possunt. Nitri spuma omnium dictorum subtilissima est, velut & Asia petra flos. Multum enim hic quoque tenuis est, sed aphronitro minus calidus. Quare & ὑπεραφρώσεως minore cruciatu colliquit. Mordicat autem eas τὸ ἀνθρῶν τῆς βίτης. Mordicat quoque ἐφρονίτην: nec secius quoque & ipsum nitrum: tametsi illis sit minus calidum. Dictum autem, substantiam crassarum partium, si scilicet fuerit calida, magis erodere. Probatum hoc tali argumento. Quae inter mordicantia & erodentia longiori temporis spatio retinentur, immorantur, & alicui corporis nostri particulae inhaerent, ea non immerito magis erodunt, & proin non sine dolore instar pali alicujus illi infixi manent: qui contra celeriter transeunt, minus erodunt, hocque faciunt minore cum molestia. At mordicantia & erodentia crassioris substantiae diutius retinentur, immorantur & inhaerent? substantiae vero tenuioris celeriter transeunt. Ergo illa magis, haec minus erodunt.

Libr. 4. c. 21.

9. Cum

12.
Cùm de saporibus hæc actum sit, de
odoribus etiam aliquid proferendum est:
quæritur ergo primùm, an odores ἀνάλογοι
& similes sint saporibus, & num olfactus
cum gustu in multis conveniat? Respondet
Galenus ajendo: idque probat hac ratione. Si
odores plerique, perinde ut sapes, nos offendunt,
infertur, magnam ratione sensilium convenien-
tiam esse olfactus cum gustu, & odores similes esse
saporibus. Prius est verum. Ergo & posterius.
Prius declaratur exemplis. Etenim acida omnia,
atque adeo acetum ipsum, similiter olfactum &
gustum movent & afficiunt. Acria item, ut allia,
cepe &c. non minùs olfactum, quàm gustum offen-
dunt & mordicant. Præterea in alijs quibusdam
similis propemodùm olfactus est gustui. Confirma-
tur hoc tali syllogismo. Si quorundam corporum
saporem, etiam non gustantes, olfactu cognosci-
mus, concluditur, magnam convenientiam sensi-
lium ratione inter olfactum & gustum esse. At
prius verum est. Ergo verum & posterius.

Prius iterùm exemplo illustratur. Nam si
duntaxat odorantes aversamur, eumque ne gu-
stare quidem aggredimur: quia olfactui de ejus
malitia fidem habemus. Præterea, edulia boni
aliàs odoris, putredine verò corrupta, odore nos
suo offendunt. Ideoque ea respuimus & abijcimus,
licet illa nondum gustaverimus. Manifestum est
ergo, acida, acria, & putida utrumque afficere
sensum, odoratum & gustum. Obij-

Obijcies, veritati haud consonum esse, quod
duo isti sensus mutuo inter se consentiant. Testa-
ri enim hoc Rosas, quae olfactui sint gratissimae,
gustui vero plane inimicae: idque propter amari-
tudinem, quam praeseferunt haud exiguam.
Amara namque nec ut medicamenta, nec ut cibi
gustui placent. Respondet Galenus, dogma istud,
quod mutuus sit consensus inter olfactum & gu-
stum, & quod quae olfactui grata sunt, etiam gu-
stui arrideant, non esse universaliter accipiendum,
sed particulariter, quia in quibusdam solummodo
res sic se habet, quod quae olfactui grata, vel in-
grata sunt, etiam talia sint gustui. Cur vero quae
bene olent amara sint, ratio est, quia causa si-
milis est, qua res fiunt odoratae, & quae amarae.
Dictum enim, amarum saporem fieri, partibus rei
dulcibus *λεωλυομενοις*, extenuatis. Causam vero
hujus extenuationis esse calorem. Ideoque amara
& calidiora, & tenuiora esse dulcibus. Odorabi-
lium autem substantiam esse *ατμωδν*, vaporosam:
quae similiter a calore proficiscitur. Ea, quae ab
odoratis defluunt corporibus, ambienti permisce-
ri aeri, ac deinde per nares in inspiratione de-
ferri ad organa olfactus, quae Galenus putat esse
cerebri ventriculos, & inibi sentiri. Hinc sequi-
tus, odorata esse calida, eo quod vaporum copia a
calore proficiscatur: non tamen protinus quicquid
odoratum est, *ηδν*, suave & jucundum esse. Nam
non omne id spiritui in cerebri ventriculis con-
tento est *οικειον*, familiare. Est quippe hic inter
odores

odores & saporēs similitudo quādam. Quemadmo-
dum enim qui linguae occurrunt saporēs, ἢ, qui
οἰκειότατοι, familiarissimi, ἴdem & γλυκεῖς, dul-
ces erant: qui verò tales non sūt, complures
habent differentias: sic odores, qui cerebri spiri-
tū sūt οἰκεῖοι, familiares, ἴdem καὶ φίλιοι, καὶ
ἰδέοι sūt: qui verò familiares non sūt, varij
sūt, & à se mutuo dissidentes: sed non omnes
propria nomina habent, ut saporēs. Dicimus
enim, quippiam habere odorem acidum & acrem:
sed austerum, acerbum, salsum, aut amarum ha-
bere non dicimus. Omnes tamen odorū species
ad duo genera revocare possumus: ita ut odores
vel sūt εὐώδεις, bene olentes: vel δυσώδεις, gra-
veolentes. Εὐώδεις proportione respondent sapo-
ri dulci: δυσώδεις non dulci. Vno namque voca-
bulo hoc saporū genus exprimi nequit.

Videtur autem à corporib. non odoratis aut
omnino paucum defluere (ἀπορρεῖν) aut quod pro
mole sua sit ἀσὺμμετρον, immoderatum, sicut in
illis, quae ἀκριβῶς, exactè tūm salsa, tūm acerbā
sūt. Ἀκριβῶς autem aliquid tale, vel tale esse
dicitur, quod est εὐκριβῶς, καὶ ἀμικτόν, sincerum,
& quantum fieri potest, alterius qualitatē, vel
saporis expers.

Quòd autem à salis & acerbis corporibus pa-
rūm defluat, & proinde parum ex illis in cere-
brum per inspirationem deveniat, hoc modo pro-
batur.

Quae crassa, terrena, & frigida sūt substantia,
ab

ab ijs parum defluit, & per consequens admodum
odorata non sunt. At ià *σφοδρὰ* sunt crassæ, ter-
rene, & frigida substantiæ: ià δ' *ἀραιὰ* crassæ
tantum. Ergo ab ijs parum defluit, & per conse-
quens admodum odorata non sunt. Lib. 4. c. 22.

X.

Quibus medijs liceat venire in cognitio-
nem qualitatum & virium medicamento-
rum? Media illa precedentibus libris satis super-
que fuerunt indicata. Sunt enim duplicia, Ra-
tio & Experientia. Ex quibus hæc est certissima:
illa verò *σοφαστικὴ*. Petitur autem Ratio à colo-
ribus, odoribus & saporibus: verum inæqualiter.
Probabilior est, quæ desumpta à saporibus: infir-
mior, quam odores suppeditant: levissima, quæ à
coloribus petita.

De coloribus, quibus Galenus omnium mi-
nime tribuit, cum medicamentorum vires sunt
indaganda, ita argumentatur. Si in singulis co-
loribus calida, frigida, humida siccaque reperiu-
ntur medicamina, & singulis coloribus certa pro-
priaque qualitates assignari non possunt, ita ut
alba quæ sunt, dici nequeant frigida: quæ rubra
& flava, calida, concluditur, nihil certi ex coloribus
de medicinarum viribus colligi posse. Prius
verum est, ut multis declarari posset exemplis, &
id ipsum quoque primis hujus operis libris à Ga-
leno ostensum. Ergo verum est & posterius.

Ἐπιπέπρωσι tamen quandam Galenus sub-
jungit, dicitque, posse aliquid in singulis semi-
nibus

num, radicum, aut succorum speciebus ex colore
probabiliter cognosci: idque exemplis quibusdam
declarat. Nam cepæ, scyllæ, vina, quânto sunt al-
bidiora, tantò & minus calida sunt: quæ verò
subflava fulvaque sunt, calidiora existunt. Eadem
ratio est in tritico, milio, ochris, phaseolis, ciceri-
bus, radicibus ireos & asphodeli, alijsque complu-
ribus. In quolibet enim genere, fulva, flava, ru-
braque quæ sunt, albis calidiora sunt. Licet verò
ex coloribus de qualitatibus simplicium probabi-
lis fieri queat σοχασμός, melius tamen est, ut fa-
cultates eorum per experientiam investigentur.
Nam quod organum inventionis non fallit, id me-
ritò preferendum alijs, quæ fallere possunt. Sed
πειρα διακριτική, experientia discreta, eo scil-
modo instituta, qui aliquoties trib. precedentibus
libris indigitatus fuit, non fallit. Ergò preferen-
da organis alijs, rationibus scil. à coloribus, odori-
bus, & saporibus petitis.

De odoribus Galenus ita iudicat. Quæ
ἀσπυα sunt, h. e. odore carent, παχόμεναι quidem
existunt, & substantiam habent crassam: verum
utrum calida sint, an frigida, nondum constat.
Τὰ δ' ὀσμήδου, quæ verò odorata sunt, λεπτόμεναι
quidem τῶν καὶ θερμὰ, tenuium quadantenus
sunt partium, & calida, sed quantitas tum te-
nuitatis, tum caliditatis adhuc latet, h. e. gradus
in utraque qualitate ignoratur.

Maxima autem & potissima causa, ob quam
nihil σαφές, evidens de temperatura odoratorum
statui

statui possit, est ἡ ἀνομαλία τῆς ἕσιας, inaequalitas
substantiae, cuius crebra mentio facta, & demon-
stratum, pleraque simplicia ἀνομοιομερῆ esse καὶ
σύνθετα. Perspicuitatis verò gratia Galenus hoc
loco Rosam nobis ob oculos ponit: quae non ea so-
lùm ratione est ἀνομοιομερῆς, quòd pars illius πε-
ρίχουσα, continens, dura sit atque terrea: ἢ δὲ
περιχομένη, contenta verò succus quidam sit hu-
midus: verùm etiam ista, quoniam succi ipsius
tria sunt excrementa. I. γῆδες, terrenum, qua-
le in vino fax est. II. ἀεῖδες, aëreum, quod flo-
ri vini proportione respondet. III. ὑδατῶδες,
aqueum, quod in omnibus τὴν ζέσιν, ebullitionem,
sive effervescentiam, & τὴν φθορὰν, corruptionem
efficit, ubi scil. neque devictum, neque planè ab-
teratum tempore ebullitionis fuerit. Cuius excre-
menti gratia quidam succos non nisi coctos repo-
nunt: alij in Sole ferventi prius siccatos. Nam
quae succorum pars facile corrumpitur, ea vel
igni perfectè coqui, vel in Sole ferventi prius sic-
cari debet, quam asservetur. At haec succorum
pars aquea facile corrumpitur. Ergo meritò vel
igni perfectè coquitur, vel Solis ardenti calore
resiccatur.

Pars aërea & terrena ἐσθλα non est:
ideòque homines illius corruptionem non ad-
modum metuunt. Non esse verò ἐσθλας hasce
partes, sic probatur. Quae διακρίνονται, separantur,
& substantiam nacta sunt δύσπλοιν, agrè pu-
rescibilem, ea etiam sunt δύσφθαστα, difficulter
12 corrumpuntur.

corrumpuntur. At partes succorum aëreae & terrene διακρίονται, separantur, & substantiam natae sunt δύσπηλον. Ergo difficulter corrumpuntur.

Minor probatur. Q. sicca constant temperatura, non facile putrescunt & corrumpuntur. Partes terrena & aërea sicca constant temperatura. Ergo non facile putrescunt & corrumpuntur.

Quod autem verum sit, quod dictum antea, nimirum inequalitatem substantiae in simplicibus dissimilaribus maximam potissimamque causam esse, cur in odoratis nihil certi & evidens de temperatura eorum affirmari possit, hoc argumento in Rosis confirmatur.

Vbi diverse sunt partes, ibi diversi sunt sapes, & diverse quoque qualitates. In Rosis diverse sunt partes. Ergo & diversi sapes, & diverse qualitates. Ergo ex solis odoribus nihil certi de temperatura statui potest.

Minor probatur. Quae σύνθετα sunt καὶ ἀνομοιομερή, in illis sunt diverse partes, sive substantiae. Rosae sunt simplicia σύνθετα καὶ ἀνομοιομερή. Ergo in illis sunt partes diverse.

Hæc Minor iterum demonstratur. In quo simplici gustus deprehendit aliquid acerbi, quod terrenum est, frigidum & siccum: aliquid aquei, quod frigidum est, sed quodammodo consistentiae mediae, h. e. neque tenuis nimis, neque nimis crassa, id σύνθετον est καὶ ἀνομοιομερές. In Rosis gustus

stus dictos sapes deprehendit. Ergo Rose sunt
simplicia σύμβελα καὶ ἀνομοιομερή.

Quemadmodum verò aquosa Rosarum pars
neque summè tenuis, neque summè crassa est, sic
neque sapor amarus, neque acerbus in summo
gradu Rosis inest. Id quod Authòr hoc modo pro-
bat. Quæ simplicia aqueam in se habent sub-
stantiam, illorum sapes aqueæ substantiæ ad-
mixture ἐκλύονται, exoluuntur, h. e. franguntur,
obtunduntur & debilitantur. Rose talem in se
habent substantiam. Ergo sapor amarus & acer-
bus in ijs ab illa franguntur, obtunduntur & de-
bilitantur.

Aquea autem hæc portio elaboratur, exte-
nuatur & calefit, facileque in vaporem solvitur,
& hac ratione Rose odorata evadunt, citòque
resiccantur.

Qui igitur sensus non omnes rosarum parti-
culas sentit, ex eo de temperatura earum nihil
certi statui potest. At olfactus non omnes Rosa-
rum particulas sentit. Ergo ex illo de tempera-
tura Rosarum nihil certi statui potest.

Minor probatur: quia olfactus halituosas
duntaxat vaporosasque simplicium partes perci-
pit. At non omnes Rosarum partes evaporant.
Ergo neque omnes olfactus percipere potest.

Percipit autem eas omnes gustus. Ergo ex gu-
stu certius aliquid de Rosarum, aliorumque sim-
plicium temperamento cognoscere licet. Lib. 4.
Cap. 23.

COROLLARIA.

I.

CUM Galenus hoc quarto libro de simp. med. fac. multa de saporum saporumque corporum temperatura, substantia, & facultatibus in medium proferat, placet, de illis quædam problemata proponere. Sit igitur problema primum de saporum materia, forma, efficiente, & fine.

Materiam quod attinet, Aristoteles eam libr. de sensu & sensil. c. 4. statuit humidum aqueum, cum sicco terrestri permistum. Humiditas tamen in saporis generatione siccitatem superat; quemadmodum in odoris procreatione siccum vincit humidum.

Quod autem aquea humiditas sola non sufficiat, exinde liquet, quoniam est ἀποιον, omnis saporis expers, si simplex sit, non rebus alijs adulterata.

Quod sola terrena siccitas non faciat saporem, ex eo patet fundamento, quia & illa, simplex si sit, sapore caret.

Quod verò sapor exoriatur, si humidum aqueum cum sicco terrestri debito modo miscetur, Aristoteles loco allegato exemplo lixivij, aquee salse, fontium medicatorum, seu thermalium, & plantarum, quæ ex terra nascuntur, planum facit. Etenim aqua lixivij amara est, quia colata per cineres, qui amari.

Aqua

Aqua salsa est, in qua sal solutum.

Aquæ thermales acidæ sunt, amara, salsa &c. si per ejusmodi terræ cuniculos ferantur, ubi mineralia latent corpora hisce saporibus imbuta. Stirpes varijs præditæ sunt saporibus, quia terræ solique nativi naturam referunt.

Forma saporis consistere videtur in temperatura humidi aquei cum sicco terrestri ea ratione permisti, ut humidum vincat siccum, & linguam imbuere possit sapore.

Efficiens est calor, qui in mistis corporibus naturalium operum est author. Sapor enim tantum mixtis inest corporibus, neutiquam simplicibus. Propterea etiam mistorum solum affectio esse dicitur.

Est autem calor iste geminus, internus, sive nativus, & externus, Solis, Aëris, Ignis. Vtriusque virtute siccum terreum cum humido aqueo miscetur, alteratur, & pro ut variè hæc fuerint à calore alterata & commista, pro eo etiam varia resultant saporum genera.

Finis, ut boni & convenientes saporis hominem ad assumendum alimentum, suumque corpus conservandum invitent: mali verò & noxij eundem ab assumptione dehortentur.

Scimus, Chymicos hodiè aliter de saporum causis, & præcipuè de efficiente ac materia, sentire: saporisque non ex diversitate mixtionis, sed ex varietate salium deducere. Tot enim propemodum salium genera extare, quot saporum. Dari

enim Sal fossile ac marinum, quod salsum. Existere Nitrum, quod amarum. Haberi Alumen, quod acerbum. In promptu esse Vitriolum, quod austerum. Reperiri Sal armoniacum, quod acre. Nec deesse Sales dulces, ut in saccharo patet. Verum nos prisecam & peripatericam nunc defendemus sententiam, sciscitantes ex neotericis, quenam in istis salibus saporum diversorum sint causa? Alterum enim alterius causa statui non potest: neque aliquod eorum sui ipsius causa est. Necesse igitur est, ut ad alia principia, salibus istis priora, & ad diversitatem mixtionis confugiant.

II.

Quo pacto sapor sit definiendus? Difficile hoc est arduumque *ἔτιμωα*. Quae causa est, quod à diversis authoribus diversimodè definiatur. Etenim Aristoteles libr. de sensu & sens. c. 4. dicit, saporem esse *πάθος*, affectionem ab aqueo humido in sicco terrestri factam, quae gustum ex potestate in actum deducat. Vbi tamen per potestatem non illa absoluta inaudienda est, tam ratione habitus, quam ratione operationis: quo modo v. g. puer qui discit, potestate sciens dicitur: quia neque habitum scientiae, neque operationem illius habet, ut alios informare possit: sed ea, quae tantum est ratione operationis: quo pacto dormiens, qui jam rerum scientiam sibi acquisivit, potestate sciens appellatur: quoniam actu non scit, neque scientiam suam alijs communi-

municat: hoc autem prestare valet, ubi evigilaverit. Ita sapor ex potestate gustu actu gustum efficit, non ratione habitus, sed tantum operationis causa. Adest enim gustus, & à sapore solum in actum & operationem deducitur.

Theophrastus, Aristotelis discipulus, l. 6. de caus. plantar. c. 1. scribit, χυλόν, Plato in Timæo, & Aristoteles loco citato χυμὸν dicunt, esse partis siccae terrenaque in humore ἐναπόμορξις, demissionem, sive abstersionem. Vel, partis siccae per humorem vi caloris διήθησις, percolationem.

Galenus lib. de ocul. c. 1. dicit, saporem esse aquam corporis siccitati admistam calore operante.

Definiamus nos saporem qualitatem corporis mixti, quae ex humidi aquei cum sicco terreo permixtione à calore est introducta, ut gustum deducat in actum, & animal vel ad assumendum alimentum, si sit conveniens, vel ad illud vitandum, si noxium, moveat.

III.

Quomodo odor & sapor inter se conveniant, quomodo differant? Conveniunt inter se I. quia uterque sensibile quoddam est, & quidem proprium, quod tantum ab uno sentitur sensu. II. quia uterque & siccum & humidum ad sui generationem postulat. Odor quidem magis siccum: sapor autem magis humidum. III. quia uterque pro causa efficiente calorem agnoscit. IV. quia uterque & voluptatis, & sanitatis,

& nutritionis gratia ab homine percipitur.
Differunt verò, I. quia odor in tenuiore, sa-
por in crassiore mixti substantia heret. II. quia
odor per medium externum percipitur: sapor per
internum. Est enim gustus objectum, qui juxta
Aristotelem est ἀπὸ τῆς, tactus quidam. Non enim
sensilia sua percipit, nisi sensorio suo admovean-
tur. III. quia sapor, quemadmodum & tactiles
qualitates, ab omnibus sentitur animalibus. Scri-
bit enim Plinius l. 10. N. H. c. 71. Aristotelem
secutus l. de sens. & sensil. cap. 1. non solum ta-
ctum, sed etiam gustum omnibus inesse animalibus.
Rationem subjungit, quia alia alios saporibus
appetere solent. Addere forsitan licebit, quia gu-
stus quidam tactus est. At hic omnibus animalibus
est concessus.

IV.

Quot sint saporis species, sive differentiarum?
De speciebus authores idem non sentiunt. Alij
enim plures, alij pauciores statuunt.

Aristoteles l. 2. de anim. c. 10. saporibus ponit
duplicis generis, extremos & intermedios. Inquit
enim, quemadmodum colores alij sunt extremi, ut
albus & niger: alij intermedij, ut flavus, puni-
ceus, purpureus, viridis & coeruleus: ex quibus in-
vicem commixtis, infiniti ferè alij nascuntur: ita
saporibus alij sunt extremi, dulcis, & amarus: in-
termedij alij: ut λιπαρὸς, pinguis, ἀλυκὸς, ἢ ἀλ-
μυρὸς, salsus ἀυσγρὸς, austerus, στυφνὸς, acerbus, &
ὀξύς acidus.

Idem

Idem docet l. de sensu & sensil. c. 4.

Theophrastus l. 6. de caus. plant. c. 1. recenset sapes octo: γλυκεία, dulcem, pinguem, austerum, acerbum, acrem, salsum, amarum, acidum.

Galenus, ut ex libro 4. simpl. c. 7. 8. 9. & 18. colligitur, octo enumerat: dulcem, amarum, salsum, acidum, acerbum, austerum, acrem, & συσπικόν, adstringentem.

Paulus Ægineta l. 7. c. 1. itidem octo tradit: adstringentem, acidum, acrem, amarum, salsum, dulcem, & ἐλαιώδη, oleosum. Sed sub adstringente procul dubio acerbum atque austerum comprehendit.

Aëtius tetr. 1. serm. 1. in principio habet decem: intense austerum, qui est acerbus, austerum, salsum, amarum, acrem, acidum, dulcem, pinguem, ἀποιον, insipidum, oleosum.

Alij addunt ὕς, qui jam positi, οινώδη, vinosum.

Verum adstringens peculiaris sapor non est, sed genus austeri & acerbi: teste Galeno 1. al. fac. 1. & 2. al. fac. c. 21.

Pinguis sapor non est, sed, ut Scaliger ait exerc. 298. sect. 12. tum sapidorum, tum insipidorum adjunctum. Si sapor esset, etiam illius contrarium, τὸ μακρὸν & gracile sapor foret. Si sapor esset, omnia pingua sapida essent. At pingua reperiuntur, que insipida. Si omnino pinguis sapor statui deberet in aliquib. cor-

poribus, is tamen à dulci distinctus non esset, sed sub eo comprehenderetur. Idem sentiendum de unctuofo, & oleoso, qui & ipsi pingues.

Vinosus sapor simplex non est, sed mixtus & compositus ex dulci, acri, & acido.

Oleosus peculiaris sapor non est, perinde ut pinguis.

Plinius l. 15. c. 27. præter dulcem, amarum, pinguem, austerum, acerbum, acidum, & salsum, etiam suavem & acutum tradit.

Sed suavis peculiaris saporis species non est, verùm affectio dulcis, acidi, salis, acris, austeri, dummodo mediocritatem quandam teneant, & cum voluptate assumantur.

Acutus videtur is esse, qui pungit, stimulat, & penetrat. Hac ratione acer esse videtur, aut acidus. Rursus ergò peculiare saporis genus non est.

Author libelli de compagine membrorum, sive de Nat. hum. cap. 5. novem saporis species tradit: dulcem, amarum, acrem, salsum, conditum, acidum comprimentem linguam, formicantem, & insipidum.

Sed conditus sapor mixtus est atque compositus, minimè simplex, de cuius speciebus hîc queritur. Res enim, quæ conditur, iam suum saporem habet. Ut autem suavior & gustui acceptabilior evadat, condimentum illi additur, hacque ratione mixtus acquiritur sapor.

Insipidus sapor saporis est privatio, minimè sapor.

Si

Si per comprimmentem saporem adstrin-
gens intelligatur, & sub hoc, tanquam sub
genere, acerbus & austerus, talis sapor conce-
ditur.

Quid formicans sit, non assequimur. Ideoque
illum rejicimus, & reliquos septem, dulcem scil.
amarum, acrem, acidum, salsum, acerbum atque
aasterum admittimus.

Galenus lib. de oculis part. 5. cap. 2. sapo-
res paulò aliter proponit. Ait enim, sapes esse
novem: dulcem, sapidum, unctuosum, amarum,
salsum, acutum, ponticum, stypticum, acetosum.

At si unctuosus idem est cum pingui, perinde
ut iste, relegatur.

Quid per ponticum intelligendum sit, ambi-
gitur. Alioqui ποντικόν Græcis marinum sonat:
& in specie quod est è Ponto. Si hoc, ponticus
sapor salsus erit, quoniam aqua marina salsa.
Nonnulli ponticum à pungendo dictum auru-
mant. Si istud, ponticus sapor varius erit: nimi-
rum acer, acidus, salsus. Omnes enim isti sapes
pungunt. Dicit autem Galenus loco allegato,
ponticum saporem terrestrem esse & frigidum,
incrassare, desiccare, poros coadunare, & constrin-
gere: qua ratione ab acerbo, aut austero diversus
minimè erit.

Per acutum procul dubio acrem inaudit: quia
scribit, illum mordere, pungere & calefa-
cere.

Sapidus sapor peculiaris & à cæteris distinctus

non est. Comprehendi enim videtur sub dulci,
qui penè omnibus sapit. Quamvis & acidus, &
salsus, & acer, si intra mediocritatem se conti-
neant, gustui non displiceant.

Statuimus igitur cum plerisque Peripateticis
& Medicis sapores duplices, simplices & mixtos,
sive compositos. Illi certo numero sunt compre-
hensi, hi propemodùm infiniti.

Simplices rursus in extremos & intermedios
dividimus. Extremi sunt dulcis & amarus: inter-
medij, acer, salsus, acidus, acerbus & austerus.

V.

An non etiam alia ratione sapores distin-
guantur? Omnino: nempe temperamento, sub-
stantia, sive subjecto, & viribus atque effectis,

Etenim ratione temperamenti sunt calidi, fri-
gidi, & mediocriter tales.

Ratione substantiæ aliij in crassa & terrena,
aliij in tenui, aliij in media positi sunt substantia.

Calidi sunt, acer, amarus & salsus.

Frigidi, acerbus, austerus, & acidus.

Medio modo se habet & temperatus quo-
dammodo est dulcis. Vbi tamen notandum, quod
tam ratione temperamenti, quam ratione sub-
stantiæ, magna sit saporum, majoris minorisque,
h. e. graduum causa, varietas.

In crassa terrenaque substantia consistunt,
acerbus, austerus, salsus, & amarus.

In tenui acer & acidus.

In mediocri dulcis.

Ratio.

Ratione virium & effectorum, ut ex Galeni libr. 4. simpl. c. 7. 8. & 18. nec non ex part. 2. c. 2. lib. de oculis, itemque ex Paulo & Aëtio locis citatis colligimus, sapes ita inter se differunt.

Acet calefacit, siccatur, mordet, urit, pungit, exedit atque corrodit: & quò acrior est, eò hæc facit intensius: quò minus talis, eò remissius.

Amarus calefacit, siccatur, abstergit, mundificat, exasperat, excoriat: idque eò magis, quò est amarior: eò minus, quò minus amarus.

Salsus calefacit, siccatur, abstergit, mundificat, coadunatur, adstringit, magis & minus, quò scilicet intensior est, aut remissior.

Acerbus refrigerat, desiccatur, exasperat, incrassatur, tardè penetrat, linguam contrahit.

Austerus præstat eadem, sed remissius. Est enim inquit Galenus l. 4. simpl. cap. 8. acerbus ἐκλελυμένον, exolutus, h. e. obtusus, fractus, enervatus.

Acidus, sive acetosus refrigerat, incidit, attenuat, aperit, repercutit, dissolvit, mordet, pungit, non tamen cum calefactione, ut acer.

Dulcis mediocriter calefacit, humectat, asperitatem linguæ lenit, eamque oblectat, mundificat, leviter abstergit.

Ita loquitur de viribus saporum Galenus, & cum eo tota Galenicorum schola. Verum sciendum, ipsa corpora mixta hisce saporibus prædictos edere effectus, & quidem ob eas qualitates

litates, à quibus enumerati saporès oriuntur.

Medicamenta enim àcri sapore imbuta, *Spūka* græcè dicta, quia calida sunt, sicca, tenuiumque partium, ut tūm ex locis allegatis, tūm ex pluribus alijs Galeni scriptis colligitur, incidunt, attenuant, digerunt, penetrant, aperiunt, pungunt, vellicant, mordent, attrahunt, revellunt, irritant & stimulant, menses ciens, urinas movent, sudores proliciunt.

Adversa proin, eodem authore, nervis, oculis, pulmonibus, orificio stomachi, siticulosi, febricitantibus, ulceribus, epiphoris calidis, vesicae, intestinis & renibus exulceratis, aphthis &c. quaedam magis, quaedam minùs, pro ratione acrimoniae graduum. Talia enim reliqua omnia medicamina caliditate & subtilitate substantiae superant. In hoc albo continentur Euphorbium, Sinapi, Piper, Pyrethrum, Thapsia, Allium, Ceba, Raphanus rusticanus, Zinziber, Galanga, Rad. Ari &c.

Amara medicamina, *αίχμη*, præterquam quòd calefaciunt, & siccant, etiam validè abstergunt, crassa & lenta incidunt, attenuant, aperiunt, lumbricos necant, quodammodò etiam mordicant, putredinem arcent. Sunt tamen minùs calida, quam acria: terrena, & crassa, non subtilia, ut acria. Utilia sordidis & putridis ulceribus ac vulneribus, asthmaticis, obstructo hepatis, lieni, & renibus, laborantibus itidem scabie, impetigine, lepra Græcorum &c. teste Galeno passim.

Hoc in genere locum habent Aloe, Myrrhae
Gentis.

Gentiana, Centaurium minus, Absinthium, Cardus benedictus, Colocynthis, Zedoaria, Lupini &c.

Salsa, ἀλυκὰ, ἢ ἀλμυρὰ, ut Galenus lib. 1. alim. fac. c. 1. loquitur, præter vim calefaciendi, & siccandi etiam facultate abstergendi, digerendi, absorbendi; ad excreationem irritandi, & putredinem inhibendi obtinent: velut Galenus hinc inde docet.

Hac in classe reponuntur genera Salis, ut est Sal commune, Sal fossile, quod dicitur gemma, Ammoniacum, marinum. Item, Kali, quod quia salsum, Salsola dicitur; Crithmum quod subsalsum, & multæ stirpes, quæ in maritimis crescunt.

Acerba, σφοδρὰ, ut rursus in varijs Galeni locis legimus, refrigerant, siccant, adstringunt, & quidem magis quàm austera, terrena sunt, crassarumque partium, contrahunt, condensant, repercutiunt, tardè transeunt, ventrem fluentem fistunt, ἀμωδία dentium efficiunt, parum alunt.

Hujus generis sunt Pyra, Poma, Mespila, Sorba, Corna, Pruneola sylvestria, Oliva immatura, &c.

Austera, ἀυστερὰ, earundem sunt facultatum. Habent autem acerba & austera pro genere τὰ σφοδρὰ, adstringentia, teste Galeno l. 1. al. fac. cap. 1. & 21. Differunt autem in eo, eodem ibid. authore, quòd acerba intensiora sint in omnibus, & potissimùm in virtute adstrictoria. Quod ipsum quoque lib. 4. de compos. med. κ. γέν cap. 5. reperit. Austerum, inquit, idem sibi vult, quòd mediocriter adstringens. Acerbum, quòd

quod valide & vehementer id facit. Genus utri-
que commune adstrictionis notatur vocabulo. Sunt
præterea austera Stomacho resoluto grata: debili
robur addunt: & ventris fluxui conveniunt.

Horum in numero collocantur Corna, Pruna
sylvestria, Castanea, & fructus alij, qui initio
erant acerbi, postea per ulteriorem maturatio-
nem mitiores facti.

Acida, ὀξέα, refrigerant, siccant, attenuant,
incidunt, penetrant, pungunt, mordicant, parum
aliunt, appetitum ciborum provocant.

Exempla sunt Oxalis, Ribesia, Berberes, Vacci-
nia palustris, succus Limonum, Citriorum, Gra-
natorum & Auranciorum quorundam, Cydonio-
rum &c.

Dulcia, γλυκέα, calida sunt moderatè, nu-
triuunt, eaque præstant, de quib. in sapore dulci
dictum. Laxant præterea, concoquunt, molliunt,
rarefaciunt. Huc pertinent Lac, Mel, Siliqua, si-
ve Ceratonia, & ut barbarè officina nostra lo-
quuntur, Xylocaracta, quasi xylocerata, cornua
lignea, Glycyrrhiza, Rad. Polypodij, Saccharum, Ce-
rasia multa, Ficus, Nuclei pinei, Amygdale dul-
ces, Dactyli, Zizypha, sive Iujubæ &c. Noxia verò
sunt visceribus, præsertim hepatis & lieni. Noxia
& μικροχόλοις, in quib. in bilem vertuntur.
Notandum verò ex cap. 35. lib. 1. simpl. c. 35.
omnia, quæ leniunt exasperata, quæ præter natu-
ram concreta laxant & fundunt, quæ fusa laxa-
que contrahunt, & ad statum nature reducunt,
in sum-

in summa, quæ sunt jucunda, suavia, nobisque
cognata, & violentarum passionum remedia, ac
medela, dulcia vocari.

VI.

Quid de Aristotelis & Galeni placito sen-
tiendum, quorum is extremos sapes esse
dicit dulcem & amarum, lib. de sens & sen-
sil. c. 4. hic verò acerbum & acrem: libr. 4.
simpl. c. 10. Respondetur, nullam inter eos esse
contradictionem, sed tantum diversam considera-
tionem. Aristoteles enim sapes considerat ra-
tione gustus, cuius sunt objecta: & sic rectè dul-
cis & amarus extremi atque inter se contrarij
dicuntur: quoniam is est gratissimus gustui, &
ad alendum maxime accommodatus. Hic ingra-
tissimus, & ad nutriendum ineptus.

Galenus verò non ad gustum, sed ad tempe-
ramentum, unde sapes prodeunt, ad essentiam,
cui insunt, & ad effectus, quos edunt, respicit:
quo modo acerbus & acer jure optimo extremi
& contrarij statuuntur: quoniam acerbus sapor
est frigidus, crassus & terrenus, linguam exaspe-
rat, contrahit, tardè penetrat, repercutit: acer
contra calidus est, tenuis, aperit, penetrat promptè
attrahit.

VII.

An verum illud Plinij lib. 11. c. 37. intel-
lectus, h. e. perceptio saporum est cæteris
animalibus in prima lingua: homini in lin-
gua & palato? Si linguam instrumentum gu-
stus

kk

stus

stus concedit Plinius, necesse est, ut totam linguam illius organum statuatur: aut ratio danda est diversitatis, cur in prima solum, h. e. in extrema lingua gustus sit organum, in reliqua vero illius parte nequaquam: cum pars illius media & postrema primæ sit per omnia similis. Palatum quod attinet, pro instrumento gustus haberi non potest. Vnius enim sensus unicum solum est organum, medium unum, objectum in genere unum. Ergo & gustus. Deinde porosa lingue substantia, quæ inter carnes refertur, organum est gustus: quoniam ea salva existente, sapores rectè percipiuntur: lesa autem & malè affecta, vel diminutè, vel corruptè, vel prorsus non sentiuntur. Tertio id est alicujus actionis instrumentum, cui simile nihil in corpore reperitur. At palato, quæ crassa est membrana, similis reperitur in corpore: illa nimirum, quæ nasum succingit.

VIII.

Rectène dicat Galenus lib. 16. de us. part. c. 2. dentes unà cum lingua sapores discernunt, non aliter quàm cæteræ oris particule? Nos sensum gustus soli lingue tribuimus: dentibus nequaquam: I. quia nullus sensus geminum, aut tergeminum instrumentum habet. II. quia gustus manere potest, dentibus ablatis: id quod edentuli verum esse confirmant. III. quia si solis dentibus sapores rerum admoveantur, nunquam tamen illos dignoscunt.

Dices, Galenum loco citato affirmare, Natu-
rans

tam solis dentibus inter ossa nervos tribuisse eum
 in finem, ut sentirent, & quidem exquisite. Na-
 turam enim sensum exactiorem illis tribuisse par-
 tibus, quæ obvia semper sunt ijs rebus, quæ vim
 incidendi, frangendi, erodendi, calefaciendi, refri-
 gerandi, aut alio quovis modo alterandi habent,
 quò animal de dolore admonitum, prius, quod se
 angit, amolitur, quàm pars sit labefactata. Re-
 spondemus, dentes nervos obtinere & sensu tactus
 pollere, verum esse. Sed à genere ad speciem af-
 firmativè argumentari esse ἀτότον. Non enim
 sequitur, dentes sensum habent, ergo in specie gu-
 stum. Solum namque tactum acceperunt per ner-
 vos. Nervi autem sine instrumento gustus propriis
 sensum gustus nulli parti communicare queunt.

IX.

Num gustus & tactus unus idemque sine
 sensus? Aristoteles lib. 2. de an. c. 10. dicit,
 gustum esse ἑστὴν τινὰ, tactum quendam: eò quòd
 quemadmodum tactus sua objecta, tactiles scilicet
 qualitates non sentit, nisi organo eius admo-
 veantur: ita neque gustus sua percipit sensilia,
 quæ sunt οἱ χυμοὶ, ut Aristoteles loquitur, vel, ut
 alij habent, οἱ χυλοὶ, sapores, nisi ipsi lingua ap-
 plicentur. Verum, licet & hic, & in eo quoque
 cognatio sit inter gustum & tactum, quòd uter-
 que sensus, ut idem Philosophus l. de sens. &
 sensil. c. 1. docet, omnibus animalibus necessariò
 insit; tactus quidem, quia percipit ea, ex quibus
 animal componitur, & quibus conservatur atque

Kk 2

destrui.

destruitur, ipsas nimirum qualitates tactiles: gustus autem nutrimenti causa, quoniam suave & molestum discernit, ut illud assumat: hoc vero fugiat. Item, quia uterque sensus nobilitate ceteris longe cedit: tamen magna inter illos est & ratione organi, quo sentiunt, & objectorum, quae sentiunt, diversitas. Ratione igitur modi sentiendi, inter se conveniunt: quoniam objecta sine externo medio non sentiunt. Ideoque necesse est, ut objectum & organum sint simul, & sese tangant: quod in visu, auditu & olfactu non fit: quia per medium externum etiam remota & distantia percipiunt sensilia, colores scilicet, sonos, atque odores. Ratione autem objecti, organi, & medij plurimum inter se discrepant.

X.

An lingua uno solum officio fungatur? Aristoteles in opere de partibus animalium scribit, Naturam quandoque una parte ad plura uti officia. Inter illas partes etiam locum habet lingua. Est enim triplici destinata muneri. I. ut sapes percipiat & discernat. II. ut degluti-
tioni ciborum & potuum inserviat. III. ut vocem articulatam efficiat, & quid sibi velit, patefaciat. Priora duo officia homini cum brutis sunt communia. Postremum solius hominis proprium est. Scaliger exercit. 182. l. 2. quartum linguae usum addit, qui est, cibum in ore volutare. In brutis adhuc plures. Boves enim, v. g. cibum lingua capiunt, quem equus primori-
bus

bus labijs arripit. Et bruta alia lingua utuntur
ad scabendum, ut feles: vel ad tergendum, quod
exercent boves, cum sese emungunt. Canes vero
etiam ad aliud. Ajunt, subdit idem, ursas foetus
suos rudes, & quasi offas inchoatas conformare.
Sed hoc falsum esse scribit. Nam editos catu-
los omnis parens lambit, ut à sordibus puros red-
dat.

XI.

Quomodo lingua debeat esse disposita, ut
sapores rectè discernat? I. debet esse mediocri-
ter sicca. Admodum enim sicca si sit, τὰ γυνὰ, sive
τὰς χυλὰς, ἢ τὰς χυμὰς non rectè discernit. Quod
verum esse, experientia comprobat in febribus ar-
dentibus, in quib. lingua saepe nigra est, dura,
scabra & squalida, ut etiam praë siccitate nimia
findatur atque dehiscat: & proinde neque sen-
sa animi rectè & articulatè proferre, neq; cibos
benè & facile deglutire, neque sapores, ut decet,
discernere possit. II. tenetur esse modicè humi-
da. Etenim si immodicè aqua scateat, similiter
objecta sua rite non percipit. Aqua namq; cum
insipida sit, omnem saporem obtundit: quemad-
modum experiuntur illi, qui ἀλοεισμῶ, crebra
salivatione laborant: & qui in cura luis Vene-
reae unguentis Mercurialibus inunguntur. Os
enim illis saliva madet, adeo ut etiam dentes in-
de vacillent, & non raro inter loquendum, can-
tandum, ridendum, aut russiendum excutiantur.
III. non debet esse alieno atque extraneo sapo-

re imbuta. Imbuitur autem in ictericis à bile, ut omnia videantur esse amara, que tamen dulcia sunt, aut alio sapore prædita. Afficitur in cruditate ventriculi acida sapore acido, ut quicquid assumitur, acidum putetur. Inquinatur in cæcarrho falso sapore falso, ut quod ingeritur, credatur falsum, & sic deinceps.

XII.

Cur in coryza ut plurimum & gustus, & olfactus pereat? Quid *κρυση*, seu gravedo sit, notum est: nimirum crudi humoris, phlegmatis scilicet serive è cerebri ventriculus, aut è partibus, que circum cerebrum sunt, in os ethmoides & nares destillatio. Ea caput ingravescit, vox non, ut antè, sonora est, & liquoris nonnihil profluit ex naribus, principio tenuis, deinde crassiusculi. Estque is modò mitior, modò acer & salsus, adeò ut etiam nares & labia exulceret, & tumeficiat. Causa ergò, cur per coryzam olfactus pereat, in obscuro minimè latet, quoniam organa olfactus à defluente humore sunt affecta: præsertim processus mammillares dicti.

Cur verò & gustus intercipiatur, altioris est indaginis: cum organo utatur alio. Sed respondetur, non perire gustum, quamdiu lingua benè manet disposita. Quando verò & illa ob descendentem materiam est læsa, tunc unà cum olfactu etiam gustus patitur. Coaffici autem quandoque linguam, exinde liquet, quia nonnulli coryza conflictari de salsedine, quidam de dulcedine, alij de aciditate &c. conqueruntur.

XIII.

An non gustus sua *γυνά* sentiat per medium externum, cum sciamus, mel, acetum, vinum, aut quemvis alium liquorem, quocunque sapore imbutum, aquæ infusum, per aquam gustari? Respondet Aristoteles l. 2. de an. cap. 4. aquam non esse medium, per quod infusorum liquorum sapes sentimus: sed illos nos percipere, quoniam aqua fuerunt admisti. Aquam igitur amaro, acri, acido, dulci &c. sapore alteratam nos gustamus, non secus ac aliorum sapes: per aquam verò, tanquam per medium externum, illos minime percipimus.

XIV.

Uter sensus magis sit necessarius, gustus, an olfactus? Videtur gustus. Est enim sensus alimenti: quia nos de grato, utili & salutari, & contra etiam de ingrato & noxio certiores reddit: illud ut eligamus, hoc ut vitemus. Istud autem efficit per sapes, qui illius sunt objecta. Nam que alimenta suavi sapore sunt prædita, qualis est dulcis, acidulus, amariusculus, ea ventriculo sunt accepta. Ideoque illa avidè arripit, amplexatur, concoquit, hepaticque transmittit, ut in sanguinem vertantur; qui postea per venas ad reliquas corporis partes delatus, ijs apponitur, agglutinatur, tandemque prorsus assimilatur. Quæ verò impensè sunt amara, salsa, acris, acerbæ & austera, illa idem stomachus aversatur, respuit, & non rectè concoquit: unde etiam nullum



bonum inde nutrimentum sperari potest. Olfactus quidem etiam de bonitate & malitia alimenti monere solet: idque per fragrantiam, aut foetorem & graveolentiam odoris: sed certius id gustus facit. Ratio est: quoniam, ut Galenus l. 4. simpl. c. ult. & Paulus Aegineta lib. 7. cap. 1. scribunt, omnes gustabilium corporum particulae in linguam incidunt, sensumque movent, pro sua natura singulae. Secus se res habet in corporibus olfactilibus, quorum subtilior tantum tenuiorque portio olfactui offertur, non substantia tota.

XV.

An pellicula linguae & salivalis illius humiditas pro medio gustus haberi queant? Cum medium gustus à Physicis statuatur internum, & cum organo illius conjunctum, sitque pellicula haec pars linguae, haud absurde medium gustus appellari potest. Verum de salivali humiditate non immerito dubitatur. Est enim illa extra linguam, non pars ejus, proveniens, vel à cerebro, vel ab amygdalis, quae tonsillae, & paristhmia vocantur, vel à ventriculo. Ideoque minus recte censere illi videntur, qui per salivam sapes ad linguam deferri volunt. Non enim medium est, sed ejusmodi solummodo oris adjunctum, quod linguam aptam atque idoneam reddit, tum ad loquendum, tum ad deglutendum, tum etiam ad gustandum. Lingua namque humore destituta, nihil horum bene prestare potest, uti supra dictum.

XVI.

Utrum appetitus ciborum in ventriculo persistere possit, licet gustus sit vel abolitus, vel diminutus, vel depravatus? Omnino: dummodo gustus laesus sit, vitio linguae proprio, vel in temperie, vel in unione, sive continuitate, vel ratione alia. Causa est, quoniam utriusque actionis, appetentiae & gustationis, organa sunt diversa, neque appetitus ventriculi dependet à gustu linguae, neque hic ab illo. Ideoque si ventriculus bene se habeat, & ob defectum alimenti, tractumque, sive suclum aliarum partium orificium illius, *capitula dictum*, quodammodo convellatur, appetitus ciborum manet, & ad comedendum urget, quantumvis gustus in lingua sit laesus.

XVII.

An gustus ciborum maneat, ventriculo praeter naturam affecto? Experientia testatur, & gustum laedi, laeso stomacho: & eundem rursus, salvum persistere, etiam stomacho afflictio. Prius fit, si lingua tracta sit à ventriculo in consensum, ut experimur in ictericis & febribus biliosis, cum ventriculus bile scatet. Experimur idem etiam in affectibus quibusdam alijs, in quibus ventriculus noxijs est humoribus refertus. Tunica enim ventriculi interior communis est ori ejusque partibus. Quare si lingua vel vapore, vel substantia illorum humorum una imbuatur, accidit, ut gustus quoque illius vitietur.

Posterius contingit, si lingua nihil mali à ven-

Kk 5

tricu-

triculo accipiat. Sape enim ventriculus vel in-
temperatus est, vel pravis conspurcatus humoribus,
& tamen lingua in dignoscendis saporibus rectè
suo munere fungitur. Hoc solùm discriminis in-
tercedit, quòd cibi non tanta cum voluptate ca-
pianur, quanta capi solent, cùm ventriculus be-
nè valet.

XVIII.

Quot modis τὸ ἀγευσον, ingustabile dica-
tur? Tot modis, quot τὸ ἀόρατον, καὶ τὸ ἀνώρισον.
Nam quemadmodum ἀόρατον 1. dicitur per pri-
vationem, ut tenebræ. 2. per negationem, quòd
videri nunquam potest, & ad videndum planè
est ineptum, ut res incorporea, itemque & sapor,
& odor, & sonus &c. 3. quòd vehementer visum
mover, & quasi destruit, ut vix videri possit, ceu
corpora valdè luminosa & lucida; 4. quòd adeò
est parvum, ut visum effugiat, cujusmodi sunt
minutissima puncta, & libera minima;

Et quemadmodum ἀνώρισον 1. vocatur per pri-
vationem, ut silentium: 2. quòd violenter audi-
tum afficit, ut sonus campanarum & tormento-
rum bellicorum, cùm disploduntur: 3. quòd adeò
obscurè sonorum est, vix ut audiri queat, ceu vox
rauca: 4. quòd nunquam audiri potest, quia in-
eptum est, ut exaudiat, veluti colores, odores,
sapores, & tactiles qualitates. Eodem planè
modò τὸ ἀγευσον 4. modis dicitur. 1. per pri-
vationem, ut insipidum: 2. per negationem,
quòd ad gustandum est inhabile, ut aliorum sen-
suum

suum objecta: 3. per diminutionem, ceu ea, quae
propter annorum numerum obsoleta sunt, & sa-
porem suum amiserunt, ut aromata antiqua-
ta &c. 4. per excellentiam, sive excessum, ut sine
lesione gustari nequeat: ut aqua fortis, quae di-
citur alchymistica, rad. Ari, spiritus vitri, salis &c.
Aristoteles l. 2. de an. c. 10.

XIX.

Quid de Aristotelis dicto l. 2. de part. an.
cap. 10. judicandum: principium sensuum est
cor: & Gustus atque Tactus ex corde aperte
dependent? Et rursus lib. de sensil. & sens. c.
2. gustus & tactus organum proxima à cor-
de loco positum est? Aristoteles de proximo
& proprio gustus instrumento l. 2. de an. c. 10.
lib. 4. de hist. an. c. 8. & l. 2. part. an. cap. 7.
rectè sentit, idque linguam esse docet, ut sapes
percipiat. Alijs locis, quib. illud organum cor, aut
cordi vicinum esse statuit, minùs rectè: quia per-
suasum habebat, principium omnium sensuum
Cor esse: idque ob originem nervorum, quam Cor
esse putabat. Quod tamen falsum esse Anatomici
ad oculum demonstrant.

De instrumento proximo & proprio tactus Ari-
stoteles anceps fuit. Nam interdum id dicit esse
carnem, aut quod carni est ἀνάλογον; ut lib. 2. de
part. an. c. 1. Aliquando verò hoc negat, sed ali-
quid intimum primum tactus sensorium esse sta-
tuit: lib. 2. de part. an. c. 10. sed quid sit, non
explicat. Verùm, carnem non esse tactus organum
exim-

exinde liquet: I. quia tactus etiam in ijs est partibus, in quib. nulla caro: v. g. in cute, membranis, tendinibus, nervis &c. II. quia tactus per totum corpus est diffusus: caro nequaquam. Deberet autem ubique esse in corpore, si tactus sensorium esset. Nullus enim sensus sine suo sensorio operatur.

Verum autem tactus organum membrana est: quæ tamen in genere una est, in specie vero varia & multiplex, ita ut cerebri meninges, & lingue pellis, & cutis quoque sub membrana comprehendantur. Nam cutem Hippocrates crassam vocat membranam. Esse vero membranas tactus organa, inde liquet, quia, ubi membranae sunt, verè & propriè dictæ, ibi quoque tactus est: & vice versa, ubi tactus, ibi membrana.

Cuticulam, quæ ex idæquis, excipimus. Nam tamen si membranarum instar alba sit, tenuis, lenta, frigida, sicca, densa, extensibilis, fungaturque tegendi & investiendi officio, aliarum membranarum in modum, tamen cum sensu tactus careat, neque pars sit spermatica, quo nomine etiam millies regenerari solet, quemadmodum in scabiosis, vulneratis, leprosis, lue gallica laborantibus, variolis correptis, intertrigine, serpigine, vitiligine darentis, ambustis &c. quotidie observamus, sed ex crassioribus & lentis halitibus atque vaporibus nascatur, pro vera & in specie dicta membrana haberi minimè potest. Ex quibus manifestum est, cum membrane sint tactus instrumenta,

menta, neque carnem, uti probatum, neque etiam
aliquid carni ἀνάλογον illius sensorium esse posse.
Nam quod carni ἀνάλογον dicitur, id illi simile
esse tenetur. At membranæ carni similes non
sunt, neque ratione materiae, neque ratione for-
mæ, neque ratione finis, h. e. neque ratione usus
& officij. Ideoque carni ἀνάλογοι statui nequeunt.
Credi ergo non potest, quod Aristoteles forsitan
sub τῶ ἀναλόγῳ membranas intellexerit.

XX.

An omnia dulcia nos alant, cum Galenus
tantoperè hoc in libro dulcia in alendo
commendet? Quæ nos alunt, inquit Aristoteles
& Galenus dulcia sunt, aut ἀπλῶς, aut
ἡμιγμένως, dulcia quidem, sed alijs saporibus
permista.

Dulcia autem nos præ cæteris alunt, I. quia
nobis grata sunt atque jucunda. II. quia sangui-
ni, qui commune omnium nostri corporis partium
alimentum est, similia sunt, dulcedinis causa.
III. quia temperata, aut modicè calida atque
humida. Talis autem natura humana esse di-
citur.

Verum, non omnia, quæ dulcia sunt, nos alunt.
Docet enim Theophrastus l. 7. hist. plant. c. 9.
non omnes plantas odoratas, aut dulces cibo esse
idoneas: nec omnes amaras ingustabiles: sed quæ
posteaquam in cibo assumptæ fuerunt, nihil no-
cuerint corpori, eas tantum esculentas statui-
mus.

Quas-

Quaedam enim, quamvis dulces sint, mortife-
ras tamen atque morbificas esse: alias, licet ama-
ras, aut malè olentes, utiles planè sentiri.

Hoc dicit Theophrastus in genere. Quòd
verò quaedam dulcia venena sint, Dioscorides
l. 2. c. m. 74. in specie mellis cujusdam exemplo
declarat. Heraclia, inquit, in Ponto, quibusdam
anni temporibus, propria quorundam florum do-
cte, mel conflatur, quod qui edere, mente abalie-
nantur, ac sudore diffluunt. Videtur autem hoc
mellis genus dulce esse, alias minime manducare-
tur: sicuti neque illud comeditur, quod in Sardi-
nia gignitur amarum, quoniam apes inibi absin-
thio vescuntur. Tale enim medicinale potius est
quàm cibale. Quo nomine Dioscorides ibidè
scribit, eo vitia cutis in facie, & maculis apris-
simè perungi. Hujus venenati mellis, quod Hera-
clia in Ponto provenit, itemque alterius, quod
eodem in Ponto gente Sannorum generatur, &
insaniam, quam efficit, manomenon appellatur.
Plinius quoque lib. 21. cap. 13. mentionem
facit.

Et Ruellius l. 1. de nat. stirp. cap. 18. dicit:
stirpes quasdam dulces insaniam movere: ut est
radix, qua carduo similis est: alias somnum ab-
cersere, & si copiosius dentur, mortem inferre,
quarum in albo mandragoras est: nonnullas omni-
nò lethales putari. Eadem hujus rei facere eos,
qui cum pluribus in locis radices ignotas dulces
suavesque comediissent, mortem oppetierunt.

XXI.

Utrum omnia *γευσά*, gustabilia, humida sint, h. e. humorem aliquem habeant? Videntur prima fronte refragari cineres, aromata, ligna multa, alia, quae sicca, & tamen sapida. Verum Aristoteles l. 2. de zn. c. 10. respondet, & omnia, quae saporis sensum faciunt, humida esse docet: vel *εὐγεγεία*, ut vinum, cerevisia, brodia carniuum, lac, liquores alij: vel *δυσάμει*, quae actu quidem sicca & solida, potestate autem humida. Ea verò potestas facile in ijs apparet, quae levi tactu corporis humidi liquantur, ut Sal, Saccharum & quae lingua saliva in humorem solvuntur, ipsamque linguam madefaciunt. Difficilius, quae dentibus frangenda & comminuenda.

Notandum autem hinc est, licet materia saporum sit *τὸ* humidum, non tamen sequi, omnem prorsus saporem esse in re, quae plus habet humoris, quam siccitatis: sed saporem in illa magis ab humore, quam à siccitate oriri, teste Theophrasto lib. 6. de caus. plant. tametsi interdum plus siccitatis, quam humoris rei insit.

Observandum & istud, etiam in cineribus, aromatibus & lignis humorem esse.

Ultimò advertendum, non propterea omne alimentum esse humidum, licet omne dicatur sapidum, & ob saporem humorem aliquem habeat. Omne enim, quatenus sapidum, humorem magis, quam siccitatem postulat. Et si in re sapida aliae partes sint sicciores, aliae humidiores, saporem magis

magis in humidioribus, quam in siccioribus vi-
gere.

XXII.

Quæ causa tantæ saporum varietatis? Di-
ctum fuit, ad saporum generationem tria necessa-
riò concurrere, humidum aqueum, siccum ter-
reum, & calorem alterantem. Iam cum mistio
varijs modis fieri possit: calor quoque modo vali-
dus sit, modo debilis & remissus: denique materia
ipsa, humidum & siccum, variet, & modo cras-
sior, nunc copiosior, nunc parcior sit, non mirum,
variantibus causis, etiam saporibus ab ijs fieri va-
rios.

XXIII.

Cur alijs alij placeant saporibus? Omnes
quidem homines, dummodò sani sint, & instru-
mentum gustus bene constitutum, saporibus rectè
percipiunt, eosque etiam discernunt: & quod unò
dulce est, alteri amarum esse non potest. Verùm,
quòd alij saporibus alijs placeant, in causa est di-
versitas temperamentorum. Quidam enim dulci-
bus delectantur: nonnulli ea avergantur. Ali-
quibus placent acida & acris: non pauci illa re-
spuunt.

Differt namque corpus à corpore, & natura à
natura, inquit Hippocrates libro de flatibus.

F I N I S.

24d 2663

ULB Halle 3
006 549 195



1009

MA

6



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

74

M

23.

rgen-

IO,
ORE
fa-

SI,

ERI.

